

a se vere non intellectas, tantum recitabant? Resp. α) A pſit-
tatis, rationis expertibus, ad Pharifaeos, ratione praeditos, N.
V. C. β) Si non intellexerunt, quo iure Paulus eis cognitio-
nem voluntatis Dei, Rom. II, 18. tribuere? aut Chriſtus plures,
quam aliis, qui eam ignorarunt, plagas minari, Luc. XII, 47.
potuit?

§. III. Quia ergo Pharifaeorum, qui & extreme impii, atque
homines, vt eos LIGHTFOOTVS vocat, *nequiſſimi* fuerunt, & mul-
ta falſa veris admiscuerunt doctrinis, vera nihilominus ex
parte fuit de rebus diuinis notitia: quanto magis eorum erit
vera, qui, vtut male viuant, recte tamen docent omnia, &
conuenienter principio ſuo, verbo Dei? Negare tamen id ſu-
ſtinent omnes hodierni Nouatores, quibus excitandis, breui-
tatis ſtudio prohibitus, ſuperſedeo. Quo vero incommodo
hoc fiat, peculiari Diſſertatione oſtendit Dn. PRAESES,

III. *Hic habitus Pharifaeorum, quamuis fidei
praxi, atque ſanctimonia fuerit deſtitutus, fuit
practicus.*

§. I.

Theologiae habitum practicum dici poſſe, negat quidem
IO. MEISNERVS, in *Exam. Cat. Pal.* p. 51. ſeqq. IO. AD. OSI-
ANDER in *Coll. Syst. P. I.* p. 3. ſeqq. RVDRAFFIUS in *Protueor.* p. 24.
vocem tamen in rigore philoſophico accipiunt, de quo ſi re-
mittatur aliquid, nihil obſtat, quo minus dici poſſit, ac debeat.
Ad hunc autem, ſi in ſe ſpectetur, non requiritur, vt cum a-
ctuali praxi ſit coniunctus, ſed ſufficit actus primus, & poten-
tia; nedum id, vt reflexiue ſe habeat ad ſuum Subiectum. Me-
dici enim habitus eſt practicus, licet ille neque ſe ſemper, ne-
que alios ſanet. Vti ad Ethicam ſufficit, vt tradat rationem, ad
ſummam felicitatem perueniendi, iudice Dn. D. BVDDEO in
Phil. Pract. c. I. §. 10. ita, ſi Theologia viam ad ſpiritualem felici-
tatem